



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. VI. De Offico Decanorum ruralium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. IV. *De successiva mutatione
& nominatione Decanorum.*

AD hujus vero rei firmitatem ac perpetuitatem conservandam, volumus posthac singulo triennio ante Quadragesimalem Synodum, circa Dominicam Invocavit, ex Pastoribus uniuscujusque Decanatus unum, magis idoneum, nominare, qui professionem Fidei in Synodo post Dominicam Oculi publicè emitteat, ac fidelitatis juramentum præstabit; quibus præviis, illi confirmationem in scripto dari curabimus.

Constitutus vero Decanus in alterum etiam triennium, si ex rationabilibus causis ita nobis videbitur, continuari poterit. Si quis vero Decanus ante triennium moriatur, alius à nobis surrogabitur.

CAP. V. *Forma juramenti Decanorum ruralium.*

EGO N. &c. juro & promitto, quod Reverendiss. & Illustriss. Domino Episcopo Osnabrugensi, & ejus Successoribus, canonicè intrantibus, fidelis & obediens ero, & ejusdem Reverendissimi Domini Episcopi & ejus Ecclesiæ commoda promovebo & damna avertam, atque officium Decanatus, & commissæ mihi ac mandata, fideliter exequar, absque omni dolo & fraude. Sic me Deus &c.

CAP. VI. *De officio Decanorum ruralium.*

IDecanis Ruralibus in primis commendata sint omnia, quæ in Canonibus, statutis Synodalibus ac Provincialibus, de officio, vitæ, & honestate Parochorum, Sacerdotum & Clericorum, sunt præscripta; & ut ea in se ipsis exhibeant, & in aliis suæ Regiunculæ existentibus Pastoribus observent ac requirant.

2 Ad Decani ruralis officium pertinet, bis in anno ante Synodum Diocesanam, nimirum mensè Februarii & Septembri, ad congregationem communem seu Capitulum suos Pastores convocare; Ecclesias Parochiales, Capellas, Sacristias, Sepulturas, Cœmeteria, Hospitalia, Parochorum aliorumque Clericorum ædes ac familias, & alia pia loca districtus sui, quotannis simul, una cum Camerario vel alio adjuncto, visitare ac diligenter inspicere, idque curare, ut facta recta serventur, & quæ ad divinum cultum sunt necessaria, vasa sacra, ornamenta, vestes, libri, rectè & integre suo loco & ordine conserventur.

3 Diligenter quoque inquirent in Jura & bona Ecclesiastica sui Decanatus, an rectè administrantur, conserventur; an ex iis aliquid alienatum sit, aut ab aliis usurpetur; an Ecclesia aliqua turbetur, debitis oneretur, liti-

bus implicetur, cum quibus & ex qua causa.

4 Præterea sollicitè ac prudenter, de Pastoribus, Sacerdotum, custodum, ludimagistorum, ædituorum seu Provisorum ac ministrorum Ecclesiæ, vita ac conservatione inquirent: num scilicet illi in functionibus suis, celebratione Missarum, verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione, Catechismi doctrina, horarum per solutione, decencia morum, victus ac vestitus ratione, studii assiduitate, & alii similiter pro ratione functionis suæ, officio suo satisfaciant, ac, quid ubique locorum desit aut desideretur, accuratè considerent, ut ea ad nostram cognitionem referre possint.

5 Demum, graviores Cleri & populi excessus, ac crimina publica, quibus Ecclesia scandalizatur, Decani ad nos referant, ut mature scandalis obviare, & hujusmodi mala, antequam latius serpent, è medio tollere valeamus.

6 Decanis ruralibus serio etiam commendatur & injungitur, ut quæ de libris baptismalibus & matrimonialibus, nominibus communicantium & id negligentium, post Pascha Nobis aut Nostro Vicario designandis, in præcedentibus Synodis præscripta sunt, in praxin redigi curent.

7 Cum contigerit, aliquem ex Parochis, Curatis, aut cooperatores agrotare, Decani est eundem visitare, eamque sollicitudinem adhibere, ne quidquam illi desit ex iis quæ ad animæ seu corporis curam spectant. Si eorum quispiam obierit, rerum relictarum, per se vel Camerarium, aut unum ex deputatis Pastoribus, adjuncto Notario (si haberi possit) & tribus testibus, Inventarium conficiet, eaque obfirmabit, ut piis legatis & aliis creditoribus de solutione debitorum cautum sit, atque omnia Registra & monumenta Ecclesiæ vel Pastoratus in usus eorundem conserventur, nec in aliorum manibus relinquuntur, etiam sub prætextu, quod iis ad executionem Testamenti indigeant; quibus tamen pro necessitate copia dabitur.

8 Quæ autem Decani in Capitulis ac visitationibus quotannis fecerint, curaverint, cognoverint, ea omnia per Camerarium scripto comprehendant, ut requisiti diligentiam suam comprobare possint: bis verò singulis annis, scilicet ante Quadragesimalem & Autumnalem Synodum, muneris sui rationem, vel coram vel scripto, Nobis aut Nostro in spiritualibus Vicario faciant, & quæ ipsis mandabuntur, cæteris Pastoribus & subditis Nostri tempestivè ac mature insinuabunt; in negligentes privatione Decanatus aut aliis pœnis animadvertemus.

CAP. VII. *De Congregationibus Capitularum.*

ICongregationes Capitulares annis singulis bis habeantur, ante Synodum